



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ivdx Magistratevs Senator

Zype, Franciscus van der

Antverpiæ, 1633

Cap. VI. Fidei rectæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14280

omnino sine peccato sit sic enim omnis homo reprobaretur: sed sine crimine, id est, graui peccato, accusatione, & damnatione dignissimo; præsertim in defectu nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt. quibus nos oportet condescendere, vt docet Pelag. Papa c. 7. d. 34. in qua re Galbam peccasse notat Tacit. l. 17. *Constat, inquit, potuisse conciliari animos quantulacumque parci senis liberalitate: nocuit antiquus rigor, & nimia seueritas, cui iam pares non sumus.*

3. *Institiam.* Iustitiam tamen rectitudinemque semper summam requiramus in Iudice, vt in coco optimam coquendi artem Caius: *Nisi quoad* *semper enim boni & innocentis viri officio fungi eum oportet. Vlp. in l. 4. D. famil. ercis. inde & Iudices* *ἡγατίστος.* id est, optimos, & præstantissimos appellabant. Ita apud Acta Apost. c. 24. Claudius Lyfias Felicem, & D. Paulus Festum vocant c. 28. & Cato describit;

*Iustitia cultor, rigidi seruator honesti,
In commune bonus.*

4. *Nisi & cer-
ta spes me-
lioris frugis
suadeat.* Sed tamen fieri aliquando potest, vt eluceat tanta in aliquo spes, vt quamuis vitiosam priuatus vitam egerit, alium Magistratus ostensus sit virum, & aduersus communes regulas sit promouendus. Vespasianus in melius mutatus est. Nicolaus Rentius Romæ priuatus, demens, & nugator putabatur; Urbis tribunus cuncta ad se traxit, summâ apud omnes reuerentiâ. Pius IV. omnium expectationem superauit. Sunt alij innumeri, vnde cum in Senatu actum esset, nequis posthac vitâ probrosus, & opertus infamiâ prouinciam sortiretur, idque Princeps dijudicaret, nō à legibus delicta puniri, quanto fore mitius in ipsos, melius in socios prouideri ne peccaretur? Aduersus ea differuit Tiberius *non ex rumore statuendum, multos in prouinciis contra quam spes & metus fuerit egisse: excitari quosdam ad meliora magnitudine rerum, hebescere alios.*

C A P V T VI.

Fidei rectæ.

PRima sanè bonitatis in Iudice species est rectè de Deo sentire, piè credere, ritè venerari. *Constare debet inter omnes veraciter pios, neminem sine vera pietate, id est, veri Dei vero cultu, veram posse habere virtutem.* Augustin. A Deo Iudex, à sincera fide, à proba religione si dissenferit; non aliter munus ad-

administret, quàm prouinciam Præses, qui ab Imperatore secessit. nam ita Christus, *Luc. 11. Qui non colligit mecum, dispergit.* Seminavit Christus probum semen: insperget Iudex zizania: quomodo hic agricola & dominus conuenient, in seruandis, colendis, purgandis fructibus? Quare rectè Imperatores orthodoxam fidem colendam, hæreses, hæreticosque comprimendos, dignitatibus arcendos, Iudæos, paganos, compescendos, templa horum claudenda, superstitionem tollendam decreuerunt. *tot. tit. C. de Sum. Trinit. & de heret.* Summa felicitas Rerump. si boni reges, boni Magistratus, probæ fidei, & Religionis fuerint. *Illi (inquit August. lib. 5. ciuit. c. 19.) qui verâ pietate præditi bene viuunt, si hanc scientiam regendi populos consecrati sunt, nihil est felicius rebus humanis, quàm si Deo miser ante habeant potestatem.*

Sed audiamus Diuina ipsa Oracula *Deut. 17.* Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, excipiens exemplar à sacerdotibus *Leuiticæ* tribus, & habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, & custodire verba & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram. & ipsa *Sapientia c. 6.* Audite ergo Reges, & intelligite, discite Iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniam iudicium durissimum his qui præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.

CAPVT VII.

Timens Deum.

Iethro consilium exigit Iudices timentes Deum. Initium quippe, *sapientiæ timor Domini, Ps. 110. 10.* Non ab alio fonte fluit, non aliâ viâ graditur, quam timor sepsierit. *In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis, Sapient. c. 1.* Radix sanè & custos virtutum est timor Domini: ab eo procedunt, sine illius satellitio non sunt securæ. *Anchora cordis, inquit Greg. lib. 6. c. 23. est pondus timoris.* ab eo
naues